



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Bavaria Sancta Maximiliani Sereniss. Principis Imperii,
Comitis Palatini Rheni, Vtrivsq. Bav. Dvcis Avspiciis**

Rader, Matthäus

Monachii, 1615

SS. Marinvs Episcopvs M. Et Anianvs Homologeta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79686](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79686)

S. MARINVS M. ET PONTIFEX.



Quid Vulcano furis! si noxia corpora quaris,
 Latrones vras; late tiara caret.
 Sed fure; quo maior Focus est, hoc gloria maior;
 Ignibus ex magnis, lux quoq; magna venit,

Quam lucem nullis extinguunt secula fastis,
 Nec totum innumerus obruet æquor aquis.
 Perge MARINE, rogas furat, urat, et hauriat artus,
 Virtus est lethæ fortior, igne fides.

DE S. ANTONII MONASTICO

S. MARTINI M. ET MONASTII



S. ANIANVS ARCHIDIACONVS S. MARINI.



Præsul in ardenti dum torrerere camino,
Et victor summo iam poterere Deo,
Hoc quamvis absens ANIANVS sensit, et æger
Quantumvis aegras mouit ad astra manus:

Quo pater absq; tuo properas diuine ministro:
Laurentij poterant te monuisse preces.
Sed mauult fieri Laurentius ipse MARINVS.
Absq; rogo dominum tu comitare tuum.

SS. MARINUS

S. ANTONIUS ARCHIDIACONUS S. MARINI



Antonius in deserto
S. Antonius in deserto
S. Antonius in deserto
S. Antonius in deserto
S. Antonius in deserto
S. Antonius in deserto
S. Antonius in deserto
S. Antonius in deserto
S. Antonius in deserto
S. Antonius in deserto

SS. MARINVS

EPISCOPVS M.

ET ANIANVS

HOMOLOGETA.



Marinus antistes, idemque auunculus Aniani archidiaconi, apud Hibernos bono loco natus, & literarum cultu expolitus, primùm Romam SS. cineres veneraturus cum Aniano profectus, & ab Eugenio (qui S. Martino Pontifici Maximo in Chersonesum, Constantis Monothelitæ imperio, relegato & extincto, successerat) potestate legis Christianæ per orbem propagandæ accepta, alpes transgressi ad ipsas radices locum religiosæ exercitationi quasiuere, vitamque ad rationes primorum anachoretarum quadraginta annis exegere, olere, sale, pane, frigidâ, & cum lautissimè vellent epulari, lenticulâ & caseo contenti. Nec inter hæc officium docendæ rudis plebis partim paganæ, partim Christianæ, partim ex utraque confusæ, omisere. Vastabant eâ tempestate Boicam Sclauum seu Venedi, quos ex vulgi errore Vandalos appellabant, & nescio, quâ indagine (vt latrones omnia prædæ causâ ritu canum latibula vestigant) ad ædiculam Marini penetrarant. diuerso vterque specu rebus diuinis operabatur, Marinum positum humi genibus vota Deo soluentem offendunt, ac primùm insolentiâ loci & aspectu viri sancti perculsi gradum suspendunt: mox abiectâ reuerentiâ, obfirmatis animis irrumpunt, & aurum argentumque ab extremâ paupertate viri poscunt. defossos à sene in circumjacentium accolarum fuga, thesauros suspicabantur, omniumque aliorum sensum suâ auaritiâ metiebantur. Ille spes suas omnes & res in cælo, rebus humanis dudum abiectis, sitas ostendit. Hi auditum Christi nomen execrari Marinum jubent, ac pecuniam prodere, secumque prouinciam obire, & gazophylacia indigere. Sanctissimus antistes numen cæleste, quod à puero coluisset, negabat vnquam se posse aut velle abjurare, gazas nullas habere, nullas scire, locum denique nunquam deserturum. Rapiunt ergò innocentem ad quæstiones, & exquisitissimis supplicijs tortum, in medium flammarum incendium mittunt, etiam tum pro ipsis nefarijs latronibus, passis in cælum manibus, vt magistri pietatem exprimeret, deprecantem. Anianus inter-

1027v.

Ex monu-
mentis Ce-
nobij Re-
tanti.Vique ad
Leontij im-
perium.

1027v.

rim valetudine prostratus, sumto caelesti viatico, cognita Marini
nece, latus eodem die, qui fuit ante xvii. Cal. Decemb. cum suo
Pontifice caelum petiuit. Latuere supra centum annos sacra Diuo-
rum pignora, cunctis mortalibus ignota. Priamus demum presby-
ter Pipini & Carolomani quo diuinitus per visa doctus inuenit. Tol-
lusius Episcopus Aurisum (pagi nomen est) transtulit. Et cum ad-
mirandis operibus tumuli celebrarentur, conditum ad Rotam flu-
men haud procul VVasserburgo templum, instituta per Sacerdotes
res diuina. Poppa nobilissimus inter Bojos dynasta & iudex quaesti-
onum ibi fundos habebat, quos haeredes aedi sacrae magnam partem
addixere. Demum Cono Palatinus major, Vta coniunx, cum ge-
minis liberis Conone minore, & Immengarda sorore, & Cononis
uxore Elisabetha Lotharinga, praedijs & fundis aucta aedem euoca-
ta S. Benedicti familiae tradidere. Extat autographum Henrici IV.
Imperatoris, Reginoburgi anno cio. lxxxiii. scriptum, quo Co-
nonum donationes ratas habet. Henrici auctoritatem Fridericus II.
tabulis, Piscariae anno cio. cccxvi. comprobauit. Laudatur inter
alios Dux Spoleti Renaldus, qui ex Guelforum Boicorum stirpe de-
scendit, & Palestinae Palatinum loco Friderici, vt alibi narrabi-
mus, egit. Ex multis beneficijs, quae multi mortales ad sacras Mari-
ni & Aniani tumbas non raro impetrarunt, vnicum, exempli causa,
collocabo. Impia Hunnorum agmina Boicam, cum in Othonem
Magnum arma mouissent, inundarant, & templa, aras, sacraque
omnia ac profana iuxta habebant. Incolae ad templum, velut sa-
cram ancoram confugerant, & vectes portasque clausas hosti obje-
cerant. Illi sacras aedes apertis luminibus saepius obeuntes, & in ipso
tamen meridie cecutientes fores nullas reperere, rati nullas illi tem-
plo portas esse, coepere dolabris aditum moliri, quin & ipsam janu-
am caedere securibus, quam non videbant. Sed repete caelesti vi per-
culsi, caeptis destitute, & se in pedes velut deprehenfi templorum de-
peculatores coniecere. mox etiam ab Othone in Licati-
bus victi casique poenas impietatis
persoluere.

S. ERHAR-